

# ADDITAMENTA.

I.

Judex tempore pestis potest jus dicere ad fenestram domus suæ.

II.

Fatalium cursum impedit pestis, si ea ante pestem curre-  
re non cœperant.

III.

Creditor compellere potest debitorem, qui certo loco so-  
lutionem faciendam promisit, ut alibi solutionem  
faciat, si in loco convento pestis grassetur.

IV.

Licet inquilinus sub prætextu pestis vigentis non possit re-  
cedere à contractu conductionis ad certum tempus  
factæ; Ei tamen pro rata temporis, quo non inha-  
bitavit, vel alias non usus fuit domo, facienda est  
pensionis seu mercedis remissio.

V.

Pastor Ecclesiæ ingruente peste non potest eam relinquere  
& alio se conferre.

VI.

Donatio tempore pestis facta non habenda est pro dona-  
tione mortis causa, si in ea nulla fuerit mentio mortis  
facta.

VII.

In testamento tempore pestis condendo in L. 8. C. de  
Testam. (quæ de eo loquitur, quicquid etiam sen-  
tiat HILLIG. in Donell.) neque septenarius numerus,  
neque ulla alia solennitas Juris præter testium con-  
junctionem remissa est.

A

IIX, Nec